

**XVII**

AD TYNDARIDEM

*Strophe Alcaica*

Vēlōx amoenum saepe Lucrētilem  
Mūtāt Lycaeō Faunus, et īgneam  
Dēfendit aestātem capellīs  
Ūsque meīs pluviōsque ventōs.

Impūne tūtum per nemus arbutōs  
Quaerunt latentēs et thyma dēviae  
Olentis uxōrēs marītī ;  
Nec viridēs metuunt colubrās,

Nec Mārtiālēs haediliae lupōs,  
Vtcumque dulcī, Tyndari, fistulā  
Vallēs et Vstīcae cubantis  
Lēvia personuēre saxa.

Dī mē tuentur ; dīs pietās mea  
Et mūsa cordī est. Hīc tibi cōpia  
Mānābit ad plēnum benignō  
Rūris honōrum opulenta cornū.

Hīc in reductā valle Canīculae  
Vītābis aestūs, et fide Tēiā  
Dīcēs labōrantēs in ūnō  
Pēnelopēn vitreamque Circēn.

Hīc innocentis pōcula Lesbī  
Dūcēs sub umbrā ; nec Semelēius  
Cum Mārte cōfundet Thyōneus  
Proelia ; nec metuēs protervum

Suspecta Cŷrum, nē male disparī  
Incontinentēs iniciat manūs,  
Et scindat haerentem corōnam  
Crīnibus, immeritamque vestem.